

CLASS. XVIII.

SYNGENESIA.

POLYGAMIA ÆQUALIS.

CREPIS LATIALIS. (*Tab. V.*)

C. foliis lyrato-pinnatifidis, dentatis; floribus paniculatis; squamis calycinis niveo-tomentosis, dorso setoso-muricatis.

Radix fusiformis paucis fibris filiformibus lateralibus obsita. Caulis 2-3 pedalis, sulcatus glabriusculus. Folia radicalia et caulina inferiora lyrato-subpinnatifida, lobis figura variis, modo subovatis argute denticulatis, modo sublanceolatis diversimode laciniatis in utroque margine superiore, et inferiore: caulina, superiora linearia basi pinnatifida, demum subfiliformia. Flores exacte paniculati, alterni in tota ramorum paniculæ longitudine, ramis adscendentibus, rigidis. Calycis squamæ niveo-tomentosæ, carina atro-virentes, subsetosæ, externæ subulatæ, laxiusculæ. Semen atro-flavum, striatum. Pappus niveus, sessilis, simplex, tactu mollis, sub lente scaber.

Floret Julio.

Reperitur frequens in montibus Latii. *Ann.?*

Hæc Crepidis species maxime adfinis est *crepidi præcoci Balbisii (taurinensi W.)*, et *crepidi bienni L.* Differt a prima, ut cæteros minoris momenti characteres præteream, pappo sessili; pluribus notis

ab altera; *Crepis* enim biennis folia habet runcinata, lobis margine superiore dentato, inferiore integro; flores in corymbo terminali, stricto; pedunculōs 1-2-flores; pappum uti et tomentum squamarum calycinalium sordide album.

Pro mea super *crepide* latiali sententia decertant clarissimæ notæ Botanici. Verum, cum mihi plane exploratum sit, quam polymorphæ sint hujusce generis species, nondum habeo pro comperto prorsusne discrepet hæc species a *crepide* bienni L. Idcirco Lectoris oculis subjeci Iconem, quæ Plantam perfecte referret; et Botánicos etiam, atque etiam oro, obsecroque, ut illam cum speciminibus Linnæanæ speciei suorum herbariorum conferant, quidque sentiant de ea palam expromant; omnibus autem exhibeo semina, ac sicca specimina, quorum animadversione accuratius adhuc hanc super rem judicium ferant.





Crepis latialis